

XX. *Quot marinarios naues et alia ligna tenentur habere* (1).

A. 187 Affirmamus quod nauis uel (2) aliud lignum de ducentis (3) milliariis habeat marinarios uiginti (4), et pro quibuslibet decem (5) milliariis que nauis uel aliud lignum plus fuerit extimatum uel extimata (6), unum marinarium plus habere debeat. Ordinantes quod si aliquis marinariorum (7) moriretur uel relinqueret nauem (8), patronus illius nauis ipsum marinarium secundum ordinem et tenorem nostri statuti debeat recuperare (9) ubi nauis (10) portum fecerit prius. Qui uero contra hoc fecerint (11) nostro comuni emendare teneantur in duplum (12) marinariam (13) comunalem que in naui (14) fuerit, pro quolibet marinario qui in naui (15) defecerit.

St. Tiep. A, 8 a 16 — Tarr. 16.

Var. in Q: (1) XXVIII. De marinarijs habendis. — (2) et omne — (3) CC — (4) XX marinarios — (5) omnibus X — (6) quod plus nauis fuerit extimata — (7) Si marinarius aliquis — (8) nauem relinquerit — (9) recuperare debeat — (10) naues — (11) portum f., antequam hoc fecerit contra — (12) in duplum teneatur emendare — (13) suam, scilicet aggiunto — (14) naue — (15) qui nauem

XXI. *Qualiter licitum est patrono, si aliquis marinariorum moritur, intromittere de bonis ipsius* (1).

A. 187* Dicimus quod si aliquis marinariorum moriretur, licitum sit patrono tantum intromittere (2) de bonis ipsius que sunt (3) in naue, quantum uenit ei pro ratione de residuo quod debebat seruire in naui (4).

St. Tarr. 17.

Var. in Q: (1) XXIX. De habere intromittendo marinariorum — (2) patrono sit licitum intromittere tantum — (3) illius, que fuerint — (4) quantum per rationem ipsi habere pertinet de residuo quod sibi pertinet habere et debet seruire.